



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 25. S. Martini initia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

Sæculum IV.
A. C. 360.
 qui respondens ex tertio sui exilii loco, nempe ex Thebaide, laudat animi firmitatem, quod resistendo Osi scandalum non auxerit, & quod illis, qui Arimini lapsi fuerant, & cum Ursacio, Valente, aliisque, prius a se damnatis, communicaverant, non consenserit; hortatur, ut fidem Nicænam, contempta sæculari potestate, fervet; Communionem dat, & accipit, rogatque, ut eos, qui firmi steterint, aut quos ipse ad meliora reduxisset, indicet.
Marc. & Faust. p. 40. Gregorius nec sua Ecclesia pulsus, nec sicut alii in exilium missus.

§. XXV.

S. Martini initia.

Sulp. Sev. de vita.
Marc. c. 1. 2. 3. & c.
 Sanctus Hilarius in Galliam reversus charissimum Discipulum S. Martinum, jam ante exilium sibi notum, invenit. Natus erat Martinus Sabariæ in Pannonia, nempe in Austriæ, & Hungariæ finibus, urbe hodie non amplius existente. Enutritus Ticini in Italia. Parentes habuit gentiles, & Patrem quidem Tribunum militum. Martinus annis juvenilibus militiam secutus est alieno magis, quam proprio arbitrio, & primum sub Constantio deinde sub Juliano eques stipendia meruit, jam tunc conversus, quippe, cum annum decimum ageret, invitis parentibus ad Ecclesiam confugiens inter

inter Catechumenos petiit suscipi. Ubi Sæculum IV. A. C. 360.
 annum duodecimum attigit, in eremum secedendi animus erat, & fecisset, si pares animo corporis vires fuissent, corde tamen semper in Ecclesia, & Monasterio versabatur. Tunc Imperatorum mandata allata sunt, quibus Veteranorum Filii militiae nomen dare jubebantur, Martinus, ipso Patre prodente, comprehenditur, vincitur, & militare Sacramentum dicere cogitur. Unicum sibi assumpsit famulum, quem non ut subditum, sed ut æqualem habebat, simul cibum capiebant, & sapissime obsequia servilia Dominus servo exhibebat. Inter arma ab omnibus vitiis, quibus illius conditionis homines immergi solent, immunem se servavit, ob bonitatem, & charitatem omnibus suis comilitonibus dilectus, patientia, & humilitate supra humanum morem excellens, quamvis necdum esset baptizatus. Afflictis omnibus subveniebat, nihil sibi de suo stipendio reservans, quam ut de die in diem viveret. Aliquando præter vestes, & arma nihil habenti, tam aspera hieme, ut multi frigore enecarentur, ad portam urbis Ambianensis quidam mendicus occurrit nudo corpore, prætereuntes, ut sui misericordia moveri se sinerent, frustra obtestans; hunc, cui subveniret, a Cælo sibi mitti credidit; evaginato ense pallium suum di-

Ggg 2 vidit,

Sæculum IV. vidit medium, partemque alteram pau-
A. C. 360. peri dedit, quibusdam militem datorem
 jam pallii frusto non bene contegi ridentibus, aliis quod in charitate proximi a Martino vincerentur, pudore suffusus. Sequenti nocte Jesum Christum per quietem vidit, medio pallio contactum, jubentem, ut se aspiceret, & ad circumstantes Angelos dicentem: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit.* Hac visione permotus est, ut sine mora baptismum acciperet, atque baptizatus, duobus adhuc annis militavit, a Tribuno suo rogatus, qui Martini contubernio adsueverat, eique, exacto muneris sui tempore, Mundo valedicere promiserat. Tandem cum Julianus Cæsar aliquando militibus donativum largiretur, Martinus, arrepta occasione, missionem petiit; Julianus, vecordiam exprobrans, interrogabat, num ideo hac die missionem peteret, quia cuticulæ suæ timeret, sicque instantis sequenti die prælii periculo se vellet subducere? Martinus respondit: *cras sine armis ante primos ordines stabo, & solo crucis signo munitus, hostium cuneos securus penetrabo.* Missus est in carcerem, ut verbo stare cogeretur; sed altera die Barbari pacem petierunt.

Martinus, dimissa militia, ad S. Hilarium venit, Episcoporum in Galliis illustrissimum, atque aliquamdiu apud eum
 man-

manſit; eum S. Hilarius, ut ſibi fortius devinciret, Diaconum ordinare cupiebat, ſed ipſo hoc gradu indignum ſe reputante, ut ejus humilitati aliquid concederet, Exorciftam creavit. S. Martinus, in ſomniis admonitus, ut ad parentes inviſeret, eundi licentiam a S. Hilario obtinuit, poſtquam ſe rediturum promiſerat. Matrem ſuam, pluresque alios ad fidem convertit, Patre in infidelitate permanente. Ibi cum Arianis, in Illyrico late dominantibus, reſiſteret, ſæpe multatus, tandem virgis caſus, & urbe ejeſtus eſt. In Italiam ergo rediit, ſciensque Eccleſias Galliarum quoque turbari, atque S. Hilarium exulare, in locum prope Mediolanum ſe recepit, ibique Monasticam vitam inſtituit; non diu quieto eſſe licuit, nam Auxentius Epicoſopus Arianus, & illius factionis Dux, virum graviter perſecutus, ſua Diceceſi expulit. S. Martinus tempori cedendum ratus, in parvam Inſulam Gallinariam oræ Liguriæ haud procul Albigauno cum uno Presbytero, magnæ pietatis viro, profugit; ibi aliquanto tempore radicibus nutritur, cumque ſemel inſcius helleborum comediſſet, vita periclitabatur; at precibus ſalutem recuperavit. Audito S. Hilarii reditu, eidem Romam uſque proceſſit obviam, & comperto, quod jam per urbem tranſiſſet, ejus veſtigiis inſtitit;

Sæculum IV.
A. C. 360.

S. Martinus.

Sæculum IV. stitit; Hilarium affecutus, & peramice
 A. C. 360. exceptus, secessum sibi prope Pictaviam
 in Loco duabus Leucis ab urbe distante,
 tunc Locociagum dictum, hodie gallice
 Ligugé elegit. Hoc Monasterio in Gal-
 liis antiquius nullum novimus. Ibi qui-
 dam Catechumenus S. Martino se junxe-
 rat, ut ab eo in fide institueretur, is pau-
 cis post diebus in febrim incidit, atque
 S. Martinus, tunc forte absens, ubi post
 diem tertium rediit, mortuum invenit,
 necdum baptizatum, tam subita morbis
 vis fuerat! Vir Sanctus, omnibus egredi
 jussis, solus in cellula, ubi funus jacebat,
 defuncti corpori incubuit; postquam ali-
 quo tempore orasset, surgens, fixis ocu-
 lis mortuum intuebatur, maxima in
 Deum fide orationis suæ effectum exspe-
 ctans; post horas duas omnia defuncti
 membra moveri cœperunt, tandemque
 oculos aperuit; ad vitam ergo revoca-
 tus, & statim baptizatus, pluribus dein-
 de annis vitam produxit. Non multis
 abhinc diebus S. Martinum per prædium
 cujusdam viri divitis, nomine Lupicini,
 transeuntem, magni ejulatus terruere,
 roganti causam referunt, servorum ali-
 quem sibi ipsi laqueo gulam fregisse; eo-
 dem modo sicut nuper solus apud cor-
 pus occisi aliquamdiu oravit, tum e terra
 elevatum, manumque ejus tenens ad do-
 mus vestibulum, ubi omnes rei eventum
 exspe-

exspectabant, deduxit. Hæc patrata mi-
 racula omnibus de S. Martino opinio-
 nem injecerunt, virum esse Apostolis
 parem.

S. Hilarius quoque infantem, absque
 baptismo mortuum, ad vitam revocavit.
 Ab exilio redux filiam suam Abram,
 prima fruentem valetudine invenit, qua-
 sivitque ex ea, an Sponso jungi cuperet,
 quem ei destinasset? Ipsa respondente,
 quod eidem ardentem & cito uniri desi-
 deret, Pater orare non cessavit, donec fi-
 lia omnis morbi & doloris expers, ut ad
 Jesum Christum iret, exspiravit, quam
 etiam suis manibus sepelivit. S. Hilarii
 uxor beati finis filia suæ spectatrix, ro-
 gavit Maritum, ut & sibi optatam for-
 tem procuraret; ipse precibus suis apud
 Deum effecit, ut etiam uxor ad æternam
 gloriam vocaretur. (*) Adeo Vir san-
 ctus

G g g 4

(*) Fatendum hic de S. Hilario factum per-
 hiberi prorsus singulare & alias inauditum, quod
 cum Charitate proximi difficulter conciliatur.
 Dei præceptum est: Non occides. Quod au-
 tem non licet facere, neque licet concupiscere.
 Si solum Bonum spirituale esset respiciendum,
 Parentibus liceret, serio, & voluntate efficaci
 precibus a Deo petere, ut ipsorum liberi Bapti-
 zati, antequam usus rationis superveniat, more-
 rentur, quia nemo securius salvatur. Forsitan
 ille

Sæculum IV. ctus ab omni affectu carnis, & sanguinis
A. C. 360. erat alienus.

§. XXVI.

*Tractatus S. Hilarii contra
 Constantium.*

Hier. de **C**irca tempus reditus sui S. Hilarius
Script. Tractatum adversus Imperatorem
 Con-

ille a vero non aberraret, qui crederet, vitæ
 S. Hilarii Scriptorem Filiæ ejus, & Uxoris mor-
 tem, ex solis causis naturalibus secutam, S. Viri
 precibus adscriptisse.

Parte III.
p. 130.

Interpres Protestans in Nota ad hunc locum
 dicit: Je mehr sich die Legendensucht in den
 folgenden Zeiten ausgebreitet, und das Wort
 Gottes beyseite gesetzt worden. Und wer
 den Geist eines Hilarius aus seinen Schriften
 kennen lernen, der kann das kaum von ihm
 denken, daß er seine Frau, und Tochter solte
 todt gebetet haben. Man hat nur, weil er
 ein Bischof gewesen, ihm auf eine reputirli-
 che Weise von der Frau helfen wollen. Jam,
 falsum quidem est, quod Protestans dicit; un-
 quam in Ecclesia Verbum Dei, id est, S. Scriptu-
 ram, fuisse omissam, aut vilipensam, verumtamen
 utilius futurum fuisse videtur, si in Viris Sancto-
 rum in prioribus Sæculis conscriptis, hodieque
 Breviario insertis, omissis illis, quæ solum admi-
 rationem movent, & de quibus dubium subo-
 riri potest, ea tantum legerentur, quæ certissi-
 ma sunt, quæ ædificant, & ad imitationem el-
 liciant.